



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Christo Jesu addicitur Isa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Et alois quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.

I. QUAM hic ex Isaia vaticinationem damus, obscurissima semper ab Interpretibus habita est. Mihi simplex illa & nativa videtur expositio, additur quam & Ebraica facile admittunt: Et posuit cum impiis sepulcrum ejus, & cum Divite *Christo Jesu* monumentum ipsius. Vel, in mortibus ipsius. Jam clarissima sententia est: Mortem eo loco passus est Christus Jesus, quo afficiebantur scelerati supplicio, illicque idem quod alii sepulcrum erat habiturus: at in Josephi Arimathæi, hominis divitis conditorium, ipsius atque Nicodemi viri optimatis manibus corpus ejus illatum est. Egregie hæc conveniunt verbis Isaïæ. Interpretationem istam secuti sunt Munsterus, Clarius, & Vatablus, & Recentiorum magna pars.

CAPUT CXL.

Jesu sepulcrum.

ISA. II. 10. In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.

Isa. 53. 9. Et dabit impius pro sepultura, & divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

Thren. 3. 53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

Soph. 3. 8. juxta LXX. Διὰ τὸ τοῦ ὑπομεινόν με, λέξά κλέος, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεως μου εἰς μάρτυριον.

MATTH. 27. 59, 60. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et Marc. 15. 46. Luc. 23. 52, 53. Joh. 19. 41, 42.

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. Ἐξῆς κτ' τῷ ἁγίῳ ἀποστόλῳ τῆς γραφῆς φησι, διὰ τὸ τοῦ ὑπομεινόν με, λέξά κλέος, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεως μου εἰς μάρτυριον βλεπόμενος ὅτι & τὸ πῶς ἀναστάσεως προσείδον ὁ θεός φησὶ μάρτυριον ἐπικληθῆσθαι; τί γὰρ τὸ λόγῳ, μὴ κτ' τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας ὁ τὸ γολγοθᾶ κτ' ἀναστάσεως εἶδεν ὁ τύπος ἐκκλησία καλεῖται, ἀλλὰ κτ' μάρτυριον; ἀλλ' ἵσως διὰ τὸ προσφθίτου τ' ἵπντου, εἰς ἡμέραν ἀναστάσεως μου εἰς μάρτυριον. Et deinde juxta eandem Scripture connexionem dicit, Propterea expectata me, dicit Dominus, in diem resurrectionis mee, in Martyrium. Vides & locum, in quo rediit ad vitam, Prophetam prænovisse, qui Martyrii nomen erat habiturus. Quanam enim ratione locus ille Golgotha & Resurrectionis non appellatur Ecclesia, pro more reliquarum Ecclesiarum, sed Martyrium? At forsitan propter Prophetam, qui dixit, In diem resurrectionis mee in Martyrium. Et Eusebius De vita Constantini libr. 3. cap. 29. & libr. 4. cap. 40, 45, 46, 47. Athanasius in Apologetic. Hieronymus in Chronico, & alii.

I. HOC Sophoniæ prædictum sic representavit Hieronymus, sui in Ebraicis præceptoris Judæi auctoritatem secutus: Quapropter expectata me, dicit Dominus, in die resurrectionis mee in futurum. Exemplar Ebraicum habet, *וְיָחִי*, quod diversam recipit expositionem. Quidam vertunt, ad spoliū: alii, in futurum: Jonathan, *וְיָחִי*, ad judicandum. At Septuaginta, εἰς μάρτυριον. Ita Aquila, & Theodotion, & Symmachus, teste Hieronymo: ita Syrus, & Arabs: ita Cyrillus uterque, & Theodoretus. Atqui his verbis eximia inest prædictio augusti illius & magnifici Templi, quod à Constantino Imperatore ad sepulcrum Christi, in monte Golgotha excitatum est, & Martyrium dictum, uti fusè narrat Eusebius in libris De vita Constantini. Porro nos supra in Propositione septima probavimus pertinere ad Christum, quæ commati huic apud Sophoniam subnexa sunt; unde existimare licet non temere nos facere, qui in eandem sententiam hoc quoque conferamus.